



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

13. An consuetudo Campsorum de non acceptanda solutione fortis, nisi simul soluatur detrimentum cambiorum, sit licita? Ex p. 1. tr. 8 res. 12.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76413](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76413)

etiam post illum docet Salas *tract. de cambiis, dub. 23. n. 3.* & Filiucius *tom. 2. tract. 35. p. 2. c. 10. n. 471.*

3. Sed ex Scortia *vbi supra, in Bull. Pont. epist. 107. theor. 289.* dicendum est, recambia non esse licita ratione lucri cessantis: sed, quia sunt noue emptiones, & venditiones, & ideo sicut in cambiis realibus iuste sumuntur prouisiones, toties, quoties cambia efficiuntur, ita sumenda sunt & in recambiis.

RESOL. X.

An Campfor possit toties, quoties recipere duas prouisiones: vnam in loco, vbi efficitur cambium, alteram in nundinis: quam recipit eius Agens? Ex p. 1. tr. 8. Ref. 9.

§. 1. **N**egatiue videtur prima facie respondendum, ex verbis Romualdi Coli *tr. de camb. c. 21. circa fin.* vbi sic asserit, [Bisogna auertire, che Giouanne non sia grauato due volte a pagare lo stipendio, o prouisione, vna volta a Pietro, & vn'altra volta all'agentedi Pietro.]

2. Sed haec verba aliqui putant esse vera in casu, de quo loquitur Scacc. *de commer. §. 3. gloss. 3. n. 15.* non autem in casu, de quo postea loquitur supradictus Scaccia *n. 20.* [Quia creditor, soluendo sibi ipsi de mandato sui debitoris, contrahit non solum pro se proprio nomine, sed contrahit etiam procuratorio nomine pro sui debitorum: nam debitor, dum mandat ei, vt soluat sibi ipsi necessario, mandat etiam, vt nomine ipsius debitoris accipiat cambium a seipso, vt inde sibi soluat; sed, si debitor mandaret alicui tertio, quod acciperet cambium pro suo debitorum, & solueret creditori; deberetur huic tertio; tum, quia exequendo mandatum sibi iniunctum laboraret, tum, quia accipiendo cambium, remaneret obligatio danti; ergo eadem debetur creditori, qui accipit cambium a seipso, vt soluat sibi ipsi; Ita Scaccia. Vnde Boninsignius *tr. de cambiis, c. 5. n. 10.* sic asseruit: [Prouisio soluitur a capientibus ad cambiū, semel, vbi recipitur: iterū verò Lugduni, aut alibi, vbi debitor contrahit.]

3. Igitur, sicut in nundinis debetur campfori prouisio; sic & in reditu ex nundinis alia etiam debetur prouisio: in casu tamen, quo campforius nō vult ipse rationes accipere, libros tenere, & alios labores necessarios facere: sed id committit faciendum campfori, qui de eius ordine negotium peragit, & illum a supradictis laboribus eximit. Vnde, si alia persona, diuersa a campfore, haec omnia faceret de mandato campforij, illi quidem, vt omnes concedunt deberetur prouisio: quare ergo erit deneganda campfori, qui etiam de mandato campforij hoc efficit?

RESOL. XI.

An debeatur vna tantum prouisio pro cambio magno, ac paruo: v. g. pro mille, ac pro centum? Ex p. 1. tr. 8. Ref. 10.

§. 1. **A**liqui viri docti affirmatiuam sententiam tenent: quia prouisio debetur pro labore: sed idem labor sustinetur pro cambio magno, ac pro paruo: ergo eadem debetur prouisio.

2. Sed ego contrariam facientem non damnarem ad restitutionem, & contraria sententia mihi non placet: quia Romuald. Coli *tr. de camb. c. 21. Scaccia tract. de commer. §. 3. gloss. 3. n. 475.* & alij communiter asserunt absolute, pro prouisionibus deberi mercatoribus vnam tertiam partem pro singulis centenis. Vnde Scortia *in Bull. Pont. epist. 107. theor. 291.* asseruit, quod si summa cambij sit vnus millionis, lucrum prouisionū erit scut. 333.

3. Ad argumentum verò contrariae sententiae posset aliquis respondere, quod Notarij, conficiendo aliquam scripturam, recipiunt longè diuersum, ac maius stipendium, quam pro alia eodem labore confecta; quia illa

prior continet maiorem pecuniarum summam, quam altera; sed hoc accidit in casu nostro: ergo, Item, factor conficit cum eodem labore vestem ex panno, & ex auro confectam; & tamen recipit maiorem mercedem pro hac, quam pro illa conficienda. Ergo.

4. Adde etiam, quod aliqui asserunt, vt *supra* visum est, prouisiones deberi non solum ratione laboris, sed etiam periculi: sed, qui dat in cambio maiorem pecuniarum summam, maius periculum in se suscipit: ergo maiores debet percipere prouisiones. Sed de hoc vide *supra* in Refol. 7.

RESOL. XII.

An id, quod Campforibus debetur ratione prouisionum, & interesse, possit ab ipsis fors addici, vt cambium magis augeatur? Ex p. 1. tr. 8. Ref. 11.

§. 1. **N**egatiue respondendum videtur, per ea, quae late adducit nouissime doctus Narbona *in 3. p. Recopil. lib. 5. tit. 8. l. 13. gl. 2. num. 32. & seq.* & ita in terminis docet hanc sententiam Malderus *in 2. 2. D. Thom. tr. 5. c. 4. dub. 10.* & Molfesius *in sum. tom. 2. tr. 12. c. 7. n. 112.*

2. Sed ego contrariam sententiam probabilem, & tutam in praxi esse existimo: & ita tenet, ex Societ. Iesv Lessius *lib. 2. c. 23. dub. 9. n. 85.* & Salas *tr. de cambiis, dub. 2. n. 4.* quia campfores moraliter certi sunt, se illud potuisse statim aliis ad cambium dare, & per illud lucrari, & ita ratione lucri cessantis, possunt illud fori principali vnire, vt cambium augeatur.

3. Hoc etiam concedit ex alio principio Scortia *in Bull. Pont. epist. 107. theor. 289.* nempe, ratione noui contractus emptionis, & venditionis. Vide etiam Scacc. *de commer. §. 6. gl. 1. n. 8.* & Salvatorem *tr. de contr. cambior. part. 5. n. 43.*

RESOL. XIII.

An consuetudo campforum de non acceptanda solutione sortis, nisi simul solentur detrimentum cambiorum, sit licita? Ex p. 1. tr. 8. Refol. 12.

§. 1. **R**espondeo affirmatiue: & praeter Lessium *lib. 2. c. 23. dub. 10. n. 87.* Salam *tr. de cambiis, dub. 23. n. 2.* Filiuc. *tom. 2. tr. 35. p. 1. c. 10. n. 472.* tenet etiam hanc sententiam Malder. *in 2. 2. D. Thom. tr. 5. c. 4. dub. 10.*

2. Igitur potest campfor, cui pro forte debentur decem: pro interesse autem, & prouisionibus tria; quando ad computum recipit tria, ea accipere in solum pro interesse, & prouisionibus: & non tenetur tria minuire de sorte. Rationes verò huius sententiae inuenies apud citatos Doctores: nam ego in his meis laboribus, non late disputare, sed solum delibare volo.

RESOL. XIV.

An Campfores dantes ad cambium, modo vt supra, sint in foro externo tanquam vsurarij puniendi? Ex p. 1. tr. 8. Ref. 13.

§. 1. **N**ouissime Adamus Tannerus *in 2. 2. D. Th. disp. n. 9. dub. 5. n. 148.* & Lessius *lib. 2. c. 23. dub. 7. n. 72.* affirmatiuam sententiam docent.

2. Sed immeritò quidem: nam, vt bene docet Ant. Saluatore *tr. de contr. cambiorum, p. 2. n. 8.* [Chi camba cō la ricorsa, non vien presunto, o castigato, in foro fori, come vsurario, ma che se li conuene cō alcun litigare sopra questo nelle Ruote di Genoua, & d'altri Principi, & etiandio nella Rota di Roma, Rota delle Rote, e Rota che da lunc all'altre, si giudica a fauore di chi cambiando